

QVI IN DOMINO MORIUNTUR.

§. XIII. Ne autem sensus, licet aliquatenus jam clarus sit, maneat incompletus, meritò requiritur, solidam atqve integram quandam, sequentem in modum institutam, submittere paraphrasin: *Beati sunt mortui morientes in Domino ab nunc*, i.e. illi omnes, qui ex hac vita in vera fide, Christo atqve merito ipsius innixa, & in confessione Christianâ constanti decesserunt, discedunt, & discedent, statim ab eo tempore, quo mortem obierunt, beati sunt, & propterea etiam ut æterno fruente gaudio tales jure merito prædicandi. *Næ dicit Spiritus*, i.e. Spiritus Dei Sanctus, ut Spiritus veritatis, hoc, ut certissimum quid testatur & asseverat; *Ut requiescant ex laboribus suis*, h.e. ut, ceu liberati ac exempti ab omni molestia hujus mundi & vitæ, quiete summa gaudeant. *Opera verò eorum sequuntur cum illis*, in conspectum quasi DEI veniunt, à quo & gratuita præmiorum opera, tanquam fidei, pietatisqve testimonia, sunt reportaturi.

§. XIV. Dicto illo Apocalyptico quoad Exegesin brevissimè saltem considerato & repræsentato, paraphrasique quadam ejus sensu completo, ipse nunc instituti nostri scopus repræsentandus est. Innotescet verò ille, sepositis nunc omnibus aliis, quæ ex tractatione textus nostri deduci poterant, doctrinis, sequenti ex quæstione: *An salvâ conscientia, salvò Ministerio, quo imprimis Ecclesiarum Ministri funguntur, salva pietate, salvâ fidei analogia, sine reprehensione, sine scandalo, sine lesione veritatis Theologicae & Biblicae, promiscuè omnes, vel in nostrâ solum Ecclesia, vel in Calviniana etiam & Pontificia, vel in quibuslibet aliis, de mortuos vulgari loquendi forma beatos, seelig/ vel, quod novo loquendi genere idem est, Gottseelig/ appellare queamus?*

§. XV. Ut quid in quæstionem propriè veniat, paulò clarius oculis objiciatur, quædam necessariò distinctiones erunt nobis præmittendæ. Atqve primò, palam est, de mortuorum quosdam in Ecclesia verâ, quam à reformationis auctore vulgo Lutheranam vocamus, alios in falsâ, quò nomine separati à nobis publicis confessionibus cœtus veniunt, quales sunt Ecclesiæ, Pontificia, Calviniana, Sociniana, Arminiana, & varii generis anatica, vixisse. De his autem quæstio nulla nobis futura est, nisi fortè ab adversa parte occasione disputationis inter nos intercedentis eò fuerimus pertracti. Supponitur enim à nobis, eos, qui diversam ab Ecclesiâ nostrâ religionem sequuntur, verâ illius fidei, quæ unicè salutem

C

adfert,